


Zf
6880

F.K. 71.

Ehr. Henr. Zeibich.




RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
GEORGIVS
MATHIAS
BOSE
PHYSICES PROFESSOR PVBLICVS
ORDINARIUS
IN COMMERCIO LITERARIO CVM ACA
DEMIA SCIENTIARVM REGIA PARISINA
ACADEMICVS BONONIENSIS
CIVIBVS ACADEMICIS
S. P. D.



RECTOR
ACADEMIAE WITTEMBURGENSIS
GEORGIAE
MATTHIAS
BOSE
BISHOP OF PROTESTANT PARTRICAE
CATHOLICUS
IN COMMUNIO TRINITATIS ET ACY
PATERA SANCTI IACOBII PARIZINI
ACADEMICIS TONONIENSIS

CABRAS AGADENICIS



Saepenumero mihi, de sacris doctoribus, omni-
que sacerdotio, cogitanti, uenit in mentem, re-
cordari id, quod Seruator hominum discipulis
suis dixit, sedens in monte, eosque diuine mul-
ta docens. Vos, inquit, estis Sal terrae. Grauis
uero augustaque uox, qua nihil neque honorificen-
tius, neque magnificentius, neque admirabilius, di-
ci potest. Discipulos suos praedicat, quos si aspi-
cias, quid aliud, quam turbam pifcatorum, et hu-
milis fortunae homines, incertis sedibus, cum du-
ce magistroque suo, uagantes, uidere possis. Vo-
cat nihil secius eos Salem, tralato amplectu-
bo, coelestem sapientiam demonstrans, cuius studi-
um pifcatores hi, literarum rudes, profiteri debe-
ant, ut eam longe lateque in omnes terrarum partes
spargant. Terram enim, qua pateat eius Orbis,
non regiones aliquas, eis dari, ostendit, ut, latius ex-
currentes, religione impleant, quicquid gentium
nationumque docentibus occurrat. Quid ergo ma-
gis admirere, quam tenuem hanc, inopem, et in-
conditam, ut superbis nideatur, manum illud adi-
pisci munus, cuius ad nullam partem sit idonea, in
eoque dignitatis gradu locari, quem nullis uiribus
tueri poslit. Ipsos, credo, Apostolos obstupuisse,
cum uocem Christi, in modum tam incredibili-
m fese ornantis, audierint, neque ulla cogitatione
assequi potuisse, quid sibi iam de se, futurisque re-
bus suis, sentiendum fit. Sed, quanto admirabilius
hoc, tanto illud magnificentius, turbae, tam despe-
ctae, sacra illa, coelestiaque, mysteria a Christo com-
mitti, in terris curanda, quae ipse ex sinu Paterno
attulerit, in quibus rei humanae restitutionem col-
locauerit, quibus neglectis oppressisque, omnis
eius perpessio, ipsaque mors, nihil mortales iuuare
possit. Quanto ergo honorificentius illud, ipsam
huius plebecculae humilitatem ac simplicitatem ho-
nore tanto ab ipso Dei Filio efferri, hic ut discipu-
los non modo cunctis omnium populorum sapien-
tibus anteferat, sed eos etiam, ubique gentium, di-
uinos

uiños det sapientiae magistros istis, qui sapere uelint ex uero. Aduoca iam illud Sal gentium, quod apud Titum Liuium Graecia dicitur, compara cum nostro Sale terrae, quod Christus dat suis, ut uidelas, Stultitiam Graeciae tantam dari, haec ut nesciat quidem, ubi quaerenda sit sapientia. Fatuum enim sal est, salque insulsum, quo Graecia gloriaatur, ubi loquitur de altis diuinisque rebus. Quicquid loquitur, inquit ille, Sal est. Quis autem. Insulfus

Parum dixi properans, sed illud iam facile intellectu est, haec, quae diximus, non ad solos Apostolos spectare, sed ad omnes omnino, qui Euangeliū Christi pure casteque tradant. Namque hi Sal terrae sunt, illud ipsum, quo mentes hominum condiendae purgandaeque sunt, ut coelesti sapientia imbuantur. Eundem enim Christi sermonem retinent, quem familiares eius coram audierunt, eundem promulgant, eodem ad poenitentiam malefactorum uocant, fidei salutaris studium exposunt, uitam actionesque emendant, afflitos consolantur. Ex quo apparet, quanta sacerdotii sit dignitas, siue eius sanctitas, siue amplitudo, siue necessitas, spectatur. Quid enim sanctius in rebus humanis esse potest, quam a Spiritu Sancto, quem Christus in terras misit, ea accipere multorum generum dona, quibus Veritatis aeternae praecones cumulate instruantur, ad terras Sale diuino condiendas atque expurgandas, et homines ad sanctimoniam, ipsamque salutem, traducendos. Hoc in munere situs est Dei honos, ut factorum numinum metus profligetur, ut uerus Dei cultus afferatur, ut homines, a ueritatis studio abducti, in meliorem uiam reuocentur, ut, miserias suas agnoscentes, ad Christum confugiant, eius se innocentia iustitiaque muniant, constanti in eum fide nixi, arctissime cum Deo coniungantur, ab eoque, per et propter Dei Filium, aeternam salutem consequantur. Haec cuncta, neque ratio docet ulla, neque ulla hominum sapientia

20111

tia excogitat. Haec, si uel millies audias ea, si mil-
lies ea discas, in summa tamen simplicitate tam altos
recessus habent, ut semper egeas aliquo, haec tibi
qui explanet, qui diuinis Oraculis fidem tuam con-
firmet, ac firmum semper te stablemque, in tam
arduo Religionis opere, reddat. Quam sanctum
igitur putas eum, quem Spiritus Sancti numen
ministrum sibi, maximis in rebus, legat, ac dotibus
suis adornet. Sacerdotium autem quis intelligit,
quin idem sciat, in eo Dei locum teneri, ubi curan-
da sit hominum incolumitas, homines in Dei foe-
dus asciscendi, in hoc precibus salutarique fiducia
conseruandi, cumque fragiles sint homines, uenia
delictis danda, expiandi, coelestis Epuli fructu refi-
ciendi, aliaque multis modis agenda, quae procu-
ratio salutis humanae requirit. Hoc Deus negoti-
um sacerdotibus, tanquam seruis suis, dat, quos Oe-
conomos suos esse, uult, et custodes mysteriorum
suorum, suosque mystagogos. Quod quidem quanti
sit, qui minus animaduertat, haud fane intelligo,
quidnam sit, quod hic, in rebus sacris, uideat.
Quid maius ampliusque, Deo, censeas, quid er-
go simul, tali ministerio, quod Deo praefetur.
Quid denique, salute hominum sempiterna, magis
necessarium est, quid ergo item, salutis huius cura,
quam Sacerdotium gerit. Quod si Sal infatuatum
fuerit, inquit Christus, quo salietur. Ad nullam
rem idoneum est, nisi ut foras proiiiciatur, atque
ab hominibus conculcetur. Ut facile autem est, Sal
doctrinae, animis suscepimus, inter tot rerum huma-
narum curas, et magnas ac perpetuas uitiae corru-
ptelas, corrumpi, nisi adsit, qui cohortationibus mo-
nitisque Salis diuini appetitum excitet in audienti-
bus, cum eoque studium pietatis, constantiam fi-
dei, in Christo innixa, et aliarum uirtutum, quas
officium mentis integrae postulet. Quam difficile igitur
non est, in tanta hominum imbecillitate, ac tan-
ta, quae bonos etiam interdum incessere solet, so-
cordia ac negligentia, et uitium capere Sal illud coe-

leste, et infatuatum a Deo proiici, sed cum grauiſſima eius poena, a quo uifium traxerit. Hecebo-
lius, sophistes, ut scribit Plutarchus, cum, se nihil
habere, intelligeret, fefe, traditur, humi abieciffe,
ante fores templi, miserumque in modum exclau-
masse. Conculcate, inquit, me, Salem infipidum
atque infatuatum. Hoc, grauiore Dei iudicio, ne
cui eueniat, quis cauere nolit. Quis ergo non gau-
dere eorum cura, qui saluti sua inuigilent

Hoc tamen inter illos doctores sacros, qui con-
cionando tantum munus docendi explent, et eos,
qui iuuentutem simul Academicam doctrinis eru-
diunt, interest, quod hi Sal terrae student elabora-
re, quale sunt ipſi. Docent enim eos, a quibus
mox alios, populumque uniuersum, doceri, uelint.
Hi propius accedunt ad eos, quorum studiis inser-
uire Carolus M: statuit, Scholis Episcopalis, sic
loquebantur, instituendis, ut ibi Sal terrae fieret,
id est, discipuli, quorum doctrina non solum di-
uersis haeresibus, uerum etiam Antichristi monitis,
et ipſi Antichristo, resistatur. Haec retuli ex ipso
Concilio Cabilonenti II, eiusque Canone Sexto, ut
notem uetera Antichristi uestigia, et iudicium Ca-
roli M: qui exercitationibus iuuenum Theologicis
tam insigne testimonium tribuit Veritatis, ab Anti-
christo tuendae. Tales autem doctores opera sua
efficiunt, Vt, sicut in eodem Concilio dicitur, me-
rito de illis in laude Ecclesiae dicatur, Mille Clypei
pendent ex ea, et omnis armatura fortium. Haec
ex Concilio

Miseros iam nos, qui tali quondam uiro opti-
mo, doctissimo, celeberrimoque, gauſi ſimus, nunc
autem eum, VIII Calendas Quintiles, ſenſi-
bus usque ad supremum ſpiritum integris, cum
prius ſacrosancto Epulo expiatus eſſet, extin-
ctum, moeſtissimi lugeamus. Eſt ille Christophorus
Henricus Zeibichius, Doctor Theologus, cui
praeftantia plurium generum merita tantum nomi-
nis dederunt, ut ille nullius egeat laudationis, ne-
que

que hoc tempore nostrae, neque ullius omnino ali-
us. Quo notior est eius uita, quam, et ab aliis,
et ab ipso, scriptam, legimus, eo nos magis res ad-
monet, ut rerum summas attingamus. Natus est
A· cIō Iō C LXXVII, IV Calendas Quintiles,
Moelbisii, haud procul Lipsia, patre, Ioanne Zei-
bichio, uiro honestissimo, ac rei familiaris pruden-
tissimo, qui pluribus praefuit praediis equestribus,
matre, Maria Stempelia, pietatis integerrimae femi-
na. Cizae Fellero, Vuendlero, Kuchenmeiftero,
literarum magistris, usus est. A· cIō Iō CXCII, Al-
temburgum missus, in disciplina Grosseri, Vuenze-
lii, Schumann, Friesii, recte profecit. A· cIō Iō
CXCVI, Vitembergam uenit, generosissimo Bo-
denhusiae Gentis beneficio per Sexennium adiutus,
diuque hic uixit, doctissimis hominibus ubique ca-
rus. Operam dedit Strauchio, Roehrenseo,
Schurzfleischio, Dassouio, Cnorrio, Vuichmanshu-
sio, Schroero, uiris multiplici doctrinarum copia
claris. Sed, pro eo, quo ducebatur, studio, se da-
bat maxime Deutschmanno, Loeschero, Hanneke-
nio, ac Neumanno, Theologis praestantibus, qui-
bus ingenium, mores, felicemque industriam, egre-
gie probabat. Commendatus ita tot praceptoribus,
latere non poterat, iamque multa cum laude
noscebat in concionibus sacris, disputationibus,
commentationibus domesticis, tantisque multorum
desideriis expetebatur, ut, extremo tempore, horas
octo quotidie scholis priuatis impertiret. A· cIō Iō CC VI sacris
Baruthinis praefectus, honores Theologicos suscepit, sed, A· cIō Iō
CC XI, Illeburgum euocatus, locum inuenit tam sibi iucundum,
ut, in eo uel ipsam uitam finire, haud acerbum putaret. Alter
tamen euenit. Namque A· cIō Iō CC XXIV, Vinariam sacris Aulae
regundis, pluribusque muneribus insignibus perfungendis, accitus,
magna Principis gratia, magno ciuium honore, floret. A· cIō Iō
CC XXIX, Merseburgum uenit, unde, pluribus sacris dignitatibus
ibi gestis, Vitembergam A· cIō Iō CC XXXII, remigravit, et, quas
nunc apud nos confectus est, nouas amplasque dignitates non
minus, quam alias superiores omnes, summa uirtute ornauit

Huius certe uirtutis, quae late patet, palmarum ei nemo eripi-
at,

at; cui communis honorum consensus dat sanctitatem incorruptam, scientiam instructissimam, prudentiam exercitatam, laborem nunquam remissum, et, plura paucis dicam, eam mentem Theologicam, quae, sine vanitate et ostentatione inani, talis esse voluerit, qualis uideri

Valestudine usus est, inter tot occupationes, saepe dubia, saepe infirma, sed nouissimo tempore ram afflita, ut grande dederit memorandumque documentum Christianae patientiae. Quo constantior fuit exploratorque fides in maritum, quam ei praestitit eximii uxori exempli, Dorothea Elisabeta. Hanc, Christifridi VVaechtleri, Iureconsulti, multis exquisitique literis incluti, filiam, A: c: 1700 cc xiii, viii Eidiis Februariis, Drefenae, in matrimonium duxit. Ex eadem quinque filios, tres filias, suscepit. Ex stirpe virili ammisit Henricum Augustum, qui mature decessit, Christianum Fridericum, iuris Candidatum, multa atque eleganti eruditione praeditum, Gottlobium Erdmannum, Philosophiae Magistrum, praeclarae omnino speci, superstibus duobus, Carolo Henrico, Philosophiae Professore Extraord. qui Paternum nomen compluribus ingenii, et doctrinae, publice priuatimque, limatis etiam scriptis, probatae, decoribus exornat, et Henricum Augustum, qui, diuinae humanaeque studiis sapientiae acerime deditus, fratnris uestigis laudabiliter insistit. Filia orbatus est una, Augusta Eleonora, quae Iacobo Ludouico Truzettelio, Consiliario Aulae Prussicae Spectatissimo, nupserat. Viuis reliquit duas, Christianam Carolan, Danielis Andreae Heroldi. Doctoris Iuris quandam Nobilissimi, coniugem, hoc tempore uiduam, et Erdmutham Sophiam, Io. Andreae Bodenii, Praepositi et Antistitis Schliebenis, praeclare iam meriti, coniugem, quae praefens connubium tum prospera decorat fecunditate, tum virtute, sexui suo conuenientissima. Deus immortalis Familiam Amplissimam, quam causis acerbissimus perculit, consolatione sua erigit, eiusque aduersa secundis quamplurimis benigne mutet.

Funeris pompa hodie, Hora pomeridiana III, ex domo Zeibichia, in Aedem Academicam, deducerur, ut ibi, Oratione funebri, ab Oratore, Bergero, supremum memoriae officium fiat. Vos, CIVES, Zeibichianis meritis quid debeatis, ipsi nostis, quid honoris eis habere hodierno die uelitis, ignotum nobis eo minus esse potest, quo magis nobis cognita est arque perspecta aequitas uestra. P. P. pridie Calendas Quintiles,

A: clo lo CCXLVIII

VITÉMBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSELDI
ACADEMIAE A TYPIS

ULB Halle
002 617 935




3



F.K.71.

Chr. Heinr. Zeibich.



RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
GEORGIVS
M A T H I A S
B O S E
PHYSICES PROFESSOR PVBLICVS
ORDINARIVS
IN COMMERCIO LITERARIO CVM ACA
DEMIA SCIENTIARVM REGIA PARISINA
ACADEMICVS BONONIENSIS
CIVIBVS ACADEMICIS
S P D

